



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopo Compostellano, & Vlixbonensi & Egitaniensi Episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

& sacerdotalis officij, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, publicè suspendatis, ut ejus exemplo similia ceteri agere pertimescant, facientes sententiam suspensionis hujusmodi per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani i v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

**NOBILI MULIERI M. filie Sancij quondam Regis Portugalensis.**

**O** Lim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij patris tui Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia dubitas ne super his quæ tibi eodem testamento legavit ab aliquibus tibi molestia inferatur, nobis humiliter supplicasti ut eadem tibi auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Nos igitur tuis precibus inclinati, personam tuam cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & tam Baucias, Tuias, & Aoruca cum pertinentiis suis, quæ jamdictus pater & mater tua cum omnibus filiis & filiabus suis tibi donavit, quàm hereditates quas tibi nobilis mulier V. Egeen nomine, quæ te nutritivè & adoptavit in filiam, hereditario tibi jure concessit, sicut justè ac pacificè possides, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani i i i. Idus Octobris, pontificatus nostri anno x i v.

**ARCHIEPISCOPO Compostellano, & Vlixbonensi & Egitanensi Episcopis.**

**O** Lim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia nobilis mulier M. filia Regis ipsius dubitat ne super his quæ sibi eodem testamento legavit ab aliquibus ei molestia inferatur, nobis humiliter supplicavit ut eadem sibi confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius precibus inclinati, personam suam cum omnibus bonis &c. ut in confirmatione in eundem ferè modum usque sicut ea justè ac pacificè possidet, eidem curavimus auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus

quatinus si quis prædictam nobilem super bonis prædictis præsumpserit temerè molestare, vos illum à præsumptione sua per censuram ecclesiasticam sublato appellacionis obstaculo ratione prævia compefcatis. Quòd si non omnes his exequendis, &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Nonis Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

**NOBILIBVS MULIERIBVS Tarasie Reginae & S. filiabus S. quondam Regis Portugalensis.**

**O** Lim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij patris vestri Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia dubitatis ne super his quæ vobis eodem testamento legavit ab aliquibus vobis molestia inferatur, nobis humiliter supplicastis ut eadem vobis confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur vestris precibus inclinati, personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & castrum Montis majoris & villam Hisguerra, quod tibi Regina Tarasie, & castrum de Alanquer, quod tibi S. cum pertinentiis eorundem dictus pater cum omnibus filiis & filiabus suis donavit, sicut ea justè ac pacificè possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani i i i. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

**COMPOSTELLANO Archiepiscopo, & Zamorensi & Astoricensi Episcopis.**

**O** Lim ad petitionem inclitæ memoriæ Sancij Regis Portugalensis testamentum quod fecerat in mortis articulo constitutus duximus confirmandum. Verùm quia nobiles mulieres Tarasia Regina & S. filia Regis ipsius dubitant ne super his quæ sibi dictus Rex eodem testamento legavit ab aliquibus eis molestia inferatur, nobis humiliter supplicarunt ut eadem eis confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsarum precibus inclinati, personas suas cum omnibus bonis &c. ut in confirmatione in eundem ferè modum usque sicut ea justè ac pacificè possident, ipsis

Epist. 117. Super eodem.

Epist. 118. De eodem.

Epist. 115. Super eodem.

Epist. 116. Super eodem.